

ni, quippe quod per se prodest in tali casu. Unde in variolis, quando jam deciderunt crustæ, *illinitur* commodè, pro delendis maculis & replendis foveis, id quod fuit *secretum FORESTI* in curandis variolis. Loco pinguedinis aschiæ piscis potest *substitui pinguedo anguillarum*, & multò magis pinguedo *vel axungia serpentum*: ubi opus est majori absterfione *permiscetur cum melle*, ubi verò nuda saltem sine cicatrice consolidatione, *permiscetur cum Balsamo Peruviano*.

TINCA Die Schleye.

HÆc ipsa imprimis *decantata est in curando Ictero*, extrinsecus scil. applicata; *applicandi ratio est diversa*. *Quidam* imponunt umbilico, donec moriatur, *alii* plantæ pedum: *alii* eandem applicant regioni splenis: *optimè* verò *applicatur regioni Epatis*: Dum enim sic regioni Epatis applicantur, & relinquuntur per noctem, matutino tempore in ea parte, ubi applicata fuit cuti, reperiuntur flavæ & tumidæ, & ita certò sanare Icterum inveniunt. Vid. *FONSECA lib. 2. cap. 34. b. D. MOEBIUS* felicem hujus rei dicitur habuisse experientiam, præcipuè quando applicavit umbilico & jecori, alias non in usu est.

TRUTTA Die Gorelle.

CUJUS PINGUEDO imprimis est in usu pro *collinendis fissuris* quarumcunque partium, imprimis *ani*. *Quidam* recipiunt DENTES truttæ, comburunt & præparant cum ∇ . petroselini *in calculo*: *cujus dosis est à ʒj. ad ʒiij. in ∇ . alkakengi*, dicuntque esse remedium in calculo probatum.

CLASSIS IV.

DE

INSECTIS.

APIS.

APes *siccata contrita experta sunt in Alopecia*, cui medentur, si misceantur cum melle, & locis calvis inungantur pro generandis capillis, sive exsiccata sive calcinata propinentur. Cui usui etiam convenit ∇ . *destillata* & præscribitur hæc & similes *ad capillorum generationem*. Apes dicuntur *sterilitatem ad tempus inducere*, res tamen adhuc est *dubiosa*. Apes in suo labore duas nobis *subministrant substantias valdè proficuas mel & ceram*. MEL rectè *vocatur ab HELMONTIO gloria roris*, in quo collecta sit V. Efs. plantarum: *est autem nihil aliud nisi succus quidam rosceus*, quem hinc inde exsugunt *ex floribus*, unâ cum *subtiliori & volatiliori roris substantia*: Hunc in ventriculo fermentant, & quando incipit fermentare, evomunt & in foveis cereis recondunt, ubi sensim sensimque deinde fermentando, tandem in perfectum mel abit: acquirit autem primum in ventriculis inchoamentum fermentationis, ubi postquam evomitus est, abit in mel, *cujus partes crassiores in ambitu collectæ constituunt ceram*, qui plura cupit de

mellis & ceræ generatione vid. *Magnenum in elegantissimo tractatu de Manna*. Ubi quædam sunt valdè curiosa, & laude lectuque digna de vi apum mellificâ. *Est itaque succus quidam musteus fermentativus, & facile fermentescibilis & exinde corruptibilis*. Unde est ut similem inchoet fermentationem in nobis: *adfusa ∇ . per fermentationem fit exinde MULSUM* sive liquor vinosus, habens vim inebriandi instar vini: & *inde* possumus *destillare spiritum fortem & ardentem instar spiritus vini*: *sim verò crudum mel destillatur, acquiritur spiritus acidus subtilis valdè corrosivus*, quia propter defectum fermentationis nondum ita exaltatæ sunt particulæ acidæ cum volatilibus. In melle est hoc mirabile, quod *si in magnum cadum panis secalini tantillum injiciatur, totus abeat in copiosissimas formicas*: Uti videri potest in *CONRADI KHUNRATHS Medulla destillatoria tractatu de melle*. Mel est elegans substantia, in qua sunt principia Θ ina valdè efficacia & valdè activa, propterea quoniam *utroque Θ e vol. Urinoso & acido volatili est imprægnatum*; propterea adeò facile fermentat & effervescent: propterea quoque *abstergit quascunque sordes & mucilagineas tam internè in corpus assumptum, quam externè vulneribus & ulceribus applicatum*. Internè abstergit sordes, dixi: unde convenit *in ventriculo, copiosâ crassâ ac viscida pituita nimis onerato*, ubi potiones mellitæ conveniunt, quoniam liquefaciunt & abstergunt talem materiam viscidam: Item si reperiatur *in pulmonum bronchiis & vasis, usitatissimè sunt potiones mellitæ, Hydromelita & oxymelita cum herbis pectoralibus, & fiunt hydromelita & oxymelita purgantia pro varietate circumstantiarum, ut possit per tussim ejici crassa materia*, beneficio enim mellis potenter incidunt & attenuant humores in pectore stabulantes: Externo usu *usitatissimum est inter unguenta digestiva Chirurgis dicta, item inter unguenta pro detergendis ulceribus & delendo fermento corruptivo*. Ita simplicia digestiva *sunt ex vitello ovi cum melle*: *nunc* quidam permiscunt *crudum vitellum solum cum melle*: *nunc* quidam unguentum faciunt ex vitello ovi ad duritiem cocto, cum ʒj. mellis, hæc subigunt, donec ad consistentiam mediam redigantur, & colorem rubicundum acquirant, & huic unguento multum attribuunt, quod omnia *vulnera & ulcera tam recentia quam antiqua, & inveterata phagadanica & maligna depuret, adeò ut etiam à gangrana præservat*: quidam addunt \square rum vini & ad consistentiam coquunt, & sic fit propter \square rum vini magis appropriatum in facultate absterfivâ. Vid. *HAFENREFFERUS de morbis externis lib. 2. c. 2. BORELLUS Cent. I. obs. 96 Mel solum cum terebenthina permiscum elegans est pro digestivo contra fermentum corrosivum ulcerum*: unde quidam *practici spiritum mellis cum spiritu terebenthina ana permiscunt & per retortam destillant Δ . arenæ & acquirunt potissimum absterfivum in ulceribus Cacoëthis &c. Et hanc vim obinet ratione Θ ium acidi & urinosi volat. Senibus imprimis *convenit mel*, quoniam *cæu facile fermentescibile deficientem fermentationem in M. sanguinea denuò restaurat*. Propterea quoniam confert senibus, *nocet juvenibus*, quorum M. sanguinea facile effervescentem ac ebullientem in fermentationes inordinatas cogit. Unde *solet disponere ad febres & alios affectus*: id quod*